






Handwritten mark or signature in the upper left corner of the central paper area.

Vertical text or markings on the right edge of the central paper area, possibly a library stamp or inventory number.



40



PARTITIONVM
Theologicaliarum
DISPUTATIO XL.

& Ultima.

De

**IUDICIO EX-
TREMO, INFERNO
ET VITA ÆTERNA.**

*In includatâ & Florentissimâ Academiâ Wit-
tebergensi proposita*

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente


M. GOTTFRIDO RULICHIO
Dresd.

Horis locq; consuetis.

Ad diem 14. Decembris.

Sumptibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.





Clarissimo & solertissimo Philosopho-

Theologo

Dno, M. JACOBO MARTINI, Dno Præceptori &
fautori amore filiali suo colendo, P. P.

&

Dno. JOHANNI WILHELMO KEMPFIO,
Illustrissimæ CATHARINÆ Regnorum Suecorum,
Gotthorum, Vandalorum Principissæ, Dnæ & Comitissæ
Orientalis Frisiz, viduæ nuper p. m. defunctæ, à se-
cretis; & aulæ Berumanæ quondam præfecto
Dno & amico suo colendo.

Nec non

Nobiliss. Ornatissimis & Doctissimis Dnis.

Dn. M. JOHANNI CALLENIO

Dn. M. JOHANNI COTZIBUVIO

Dn. GEORGIO à BEUDERSEHE, nobili Anhaltino

Dn. DANIELI à STETEN, nobili patricio Augustano

Dn. ANDRÆ BECCIO.

Dn. FRIDERICO SENGEBÄHRO.

Dn. JOHANNI FREISTEIN.

Dn. TOBIÆ CUNONI.

Dn. DANIELI SCHELE.

Dn. HENRICO BOCCIO.

Dn. ERNESTO SCHELE.

*Dno. Hospiti cum commensalibus, D. Præceptori & amicis
plurimum colendis,*

Strenæ loco dicat


&

Dedicat.

M. GOTTFRIDUS RULICHIUS

Respondens.

TYPVS HVIVS DISPVTATIONIS.





DISPUTATIO XL

Et ultima.

De

Iudicio extremo, inferno & Vita æterna.

CONTINUATIO.

DE Mortuorum Resurrectione egimus in proximè præcedente disputatione: quam immediatè excipit Iudicium Extremum tanquam eius proximum *ἔσθ' ὁ μὲν οὖν* & Consequens.

Thesis I.

DE illo igitur acturi, primùm videbimus Iudicium ipsum? deinde ejus executionem.

2. De iudicio ipso videndum prius an sit: tum ejus natura exactius declaranda est.

An sit iudicium extremum.

3. De quæstione an sit, nemo dubitare debet: Quandoquidem DEUS decrevit omnes homines resuscitados in die novissimo ad iudicium vocare: uti id manifestissima scripturæ dicta testantur. Psalm. 9, 8. Dominus paravit ad iudicium thronum suum, & iudicabit orbem terræ in equitate, iudicabit populum suum in iustitia. Ecclesiast. 12, 14. DEVM time & mandata eius serva. Hoc est præceptum omnibus hominibus, quod cuncta, quæ fiunt, adducet DEVS in iudicium, etiam occulta, sive bona, sive mala. Esa. 66, 15. Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius. In igne Dominus iudicabit & in gladio suo omnem carnem.

nem. Iob. 5, 28. Qui in sepulcris sunt, prodibunt, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala in resurrectionem iudicij. Rom. 2, 5. Theaurizas tibi ipsi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. cap. 14, 11. Omnes sistemur ante tribunal Christi, & quilibet ex nobis de se ipso rationem reddet Deo. 2. Cor. 5, 10. Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque iuxta id, quod fecit in corpore, sive bonum, sive malum. Jud. v. 15. Ecce veniet Dominus cum sanctis millibus suis, ut faciat iudicium de omnibus operibus impietatis ipsorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum impij peccatores.

4. Cæterum, naturam hujus iudicij ut rectè explicemus, considerandæ sunt ejus causæ & circumstantiæ. Causæ sunt vel efficiens & finis; vel materia & forma.

5. Causa efficiens est duplex; principalis & instrumentalis.

6. Causa efficiens principalis erit ipse Dei & hominis filius, Dominus noster JESUS CHRISTUS, pro nobis iudicatus, crucifixus, & resuscitatus; qui in natura humana, in tempore assumpta, omnibus hominibus, pijs & impijs, in iudicio illo apparebit.

7. Nam licet iudicium hoc, ut opus ad extra, omnibus tribus Divinitatis personis commune sit: (Unde etiam Es. 33, 22. Iob. 8, 50. & 1. Pet. 2, 23. Deus pater orbem terræ iudicaturus dicitur: nec non S. Sanctus. Esa. 4, 4. Spiritus iudicij nominatur.) Visibile tamen illud iudicium immediate fiet per filium, & Pater, & Spiritus Sanctus non aliter iudicaturi sunt, quam per filium, qui in visibili naturæ humanæ formâ se conspiciendum præbebit omnibus. Iob. 5, 22. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio & potestatem eî dedit, ut faciat iudicium, quia filius hominis est. Ibid. 27. v. Actor. 10, 12. Christus præcepit nobis prædicare populo & attestari, quod ipse sit definitus à Deo iudex vivorum & mortuorum Actor. 17, 31. Deus statuit diem, quo iudicabit orbem in iusticia per eum virum, quem designavit. 2. Tim. 4, 1. Dominus noster IESVS CHRISTVS iudicabit vivos & mortuos, cum apparebit in regno suo.

Causæ.

Causa efficiens iudicij duplex.

Efficiens principalis.

Iudicium hoc, est omnibus tribus personis commune.

*Christus
erit iudex
etiam re-
spectu hu-
manana-
turae.*

8. Et notandum est, quod potestas hæc iudicandi uni-
versum terrarum orbem, non tantum tribuatur Christo re-
spectu Divinæ, verum etiam respectu humanæ naturæ. I.
Quia expressè dicitur, quod illam acceperit quatenus filius
hominis est. II. Quia illa solius humanæ naturæ respectu
Christo in tempore dari poterat: erat enim in divina per es-
sentiam. III. Quia per humanam naturam Christus redem-
tionis munus implevit, in eaq; olim iudicatus fuit à mundo:
Ergò vicissim istum in & per humanam naturam iudicare
conveniebat.

*Christus
non erit
iudex de-
legatus,
sed princi-
palis.*

9. Non verò iudicabit Christus, ut iudex delegatus: sed
omnino ut principalis. I. Quia *Ἰεσὺς Ἰσωτῶος*, nullaq; ab eo
erit provocatio. II. Quia quamvis sententiæ dictio secun-
dum humanam naturam sit futura: vis tamen & robur illius
erit omnino divinum & omnipotens.

*Causse in-
strumen-
tales.*

10. Causse instrumentales adduntur in Scriptura, An-
geli, quorum opera ac ministerio usus est Christus, tum
in congregatione iudicandorum, tum in segregatione iudi-
catorum. *Matth. 24, 31. & 25, 32. 1. Thess. 4, 16.*

*1. Angeli.
2. Apostoli
& ceteri
sancti.*

11. Fit etiam mentio Apostolorum & cæterorum san-
ctorum, quod iudicij illius assessores futuri sint. Sic Christus
*Luc. 22, 30. Apostolis promittit sedebitis in regno meo super thronos,
iudicantes duodecim tribus Israel, seu totum genus humanum. Et
Paulus 1. Cor. 6, 2. inquit: An nescitis, quid Sancti iudicabunt Mun-
dum? An nescitis, quod Angelos, seu Diabolos, iudicabimus?*

*Quomodo
Apostoli &
sancti fu-
ruri sint
assessores
iudicij.*

12. Non verò illi aderunt cum potestate iudiciali, quip-
pe, quæ soli Christo data est; sed assessores futuri dicuntur
ratione testificationis & ministerij eius doctrinæ, quam in
hac vita prædicarunt & confessi sunt. Sic enim Christus
*Lh. 12, 48. Sermo, inquit, quem locutus sum iudicabit eos in no-
visimo die. Impij igitur videntes gloriam Sanctorum, ob con-
temptum doctrinæ & ministerij ipsorum, se meritò damnari
agnoscent, Sap. 3, 2. & 5, 2.*

*Finis Iu-
diciij ex-
tremi.*

13. Finis erit duplex. Primus est summus: gloria Dei, &
regni ac officij, quod in hoc seculo exercuit Christus, debel-
latis & profligatis ad unum, Satana & omnib. impiis, ipsaq;
morte

morre abolitâ, & electis in vitam æternam reductis, consummatio & abdicatio. 1. Cor. 15, 20. ita tamen ut cum Patre regnet in æternū, paterq; simul in Filio Victore triumphet.

2. Alter est subordinatus, nempe electorum sempiterna felicitas, & reproborum ad sempiternas pœnas justa condemnatio.

14. Illud probatur Hebr. 9, 28. Christus secundo sine peccato apparebit omnibus spectantibus se **IN SALVTE M.** Et 2. Tim. 4, 8. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa. iustus iudex; non solum autem mihi, sed & omnibus, qui diligunt adventuræ eius.*

15. Hoc constat ex 2. Thess. 1, v. 6, 7, 8, & 9. *Iustum est apud Deum reddere ijs, qui affligunt vos afflictionem: & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Iesu de cælo, cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis, dantis vindictam ijs, qui non novērunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri IESU CHRISTI, qui dabunt pœnas, interitum æternum a facie DOMINI.*

16. Materiam hujus iudicij constituunt omnes homines, tam pij, quam impij. Omnes enim coram tribunali comparebunt, audituri sententiam iudicis: cum hoc tamen discrimine, quod pij ac fideles in iudicium iræ sive condemnationis non venient, sed sine omni confusione & terrore, admirabili & impiis terribili gloriâ, Christo salvatori suo associabuntur. Sap. 5, 1. Job. 5, 24.

17. Ab hoc eodem iudicio immunes sunt Angeli boni: mali non item. Ut enim impij homines jam sunt iudicati & damnati: ita etiam isti catenis caliginis vincti sunt.

18. Inquis, Si impij sunt iudicati, maliq; Angeli ad æterna vincula condemnati, quorsum opus est iudicio illo.

19. Distinguenendum hic est inter particularia iudicia & inter generale. Particularibus unusquisq; iudicatur, ut privatus: tum verò per generale, ut civis vel cœlestis Hierusalem, vel civitatis Diaboli: atq; utriusq; civitatis multitudo per hoc generale, iudicium tota mittetur in sedes sibi paratas. Deinde executio sententiæ per particulare iudicium duntaxat inchoatur: per generale verò illud consummabitur.

20

Materia
hujus iudicij.

Iudicium
aliud generale
aliud particulare.

20 Sic

20. Sic vincula ac catena caliginis, de quibus Petrus 2. Epist. 2, 4. & Iud. v. 6 Diabolis nunc sunt ad custodiam, tunc erunt ad pœnam: nunc sunt laxiora; tunc erunt arctissima gravissimaq; ac toti simul mundo innotescant, non solum ut illis spirituum malorum declaretur culpa; sed etiam ut consummetur pœna, quam se spectare non dissimulant. Matth. 8, 29.

Forma iudicij.

1. Cognitio causæ.

21. Forma hujus iudicij consistit in duobus. 1. In cognitione causæ. 2. in dictione sententiæ.

22. Cognitio causæ, quæ in operum, quasi testium examine, maximè versatur, intus in solâ mente absq; voce sonorâ peragenda videtur. Ut enim iudicium humanum se habet ad testimonium externum: ita iudicium divinum sese habere videtur ad testimonium internum conscientiæ. Hæc enim vi Divinâ excitata, bonis & malis operibus, in memoriam revocatis, Matth. 12, 36. obicit vicem vel excusantium, vel accusantium. Rom. 2, 15.

An Electi peccatorum recordationem experiuntur.

23. Quæritur hic, an etiam electi peccatorum recordationem experiuntur? Omnino. Illa tamen illis non adferet tristitiam: Verùm augebit potius fiduciam & gloriam, cum sibi in mentem revocent malum, ex quo ipsi per Christi gratiam emerferunt, cæteris in gurgite illo submersis.

24. Excipis: Neminem posse recordari peccati, quin id displiceat: Displicentia verò videtur sine effectu tristitiæ non dari? Si nempe recordatio hæc sola esset, tum ejusmodi effectus necessariò sequeretur. Verùm quia hic conjuncta est, cum visione Dei, ab hac, tanquam potentiore causâ, tristitiæ iste effectus prohibebitur.

2. Dictio sententiæ.

Modus.

1. Internus: Evangelium.

25. In dictione sententiæ iterum duo sunt spectanda. 1. Modus; Deinde sententia ipsa definitiva.

26. Modus est internus & externus.

27. Internum modum constituit norma sive regula sententiæ ferendæ, quæ est Evangelium.

28. Nam etsi Legis quoq; voce pij absolventur, quatenus eam Christus pro ipsis implevit, nec non eadem lege, quæ omne peccatum pœnis æternis adjudicat, damnabuntur impij: nihilominus propriè loquendo, non tam Legis vox, quam

quàm Evangelij norma futura est extremi illius iudicij iuxta illud Ioh. 3, 18. *Qui credit in eum, non iudicatur, qui non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomen unigeniti filij Dei.* Item, v. 36. *Qui credit in Filium habet vitam eternam, qui verò non credit, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum.* Iohan. 12, 48. *Qui spernit me & non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum: Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die.* Rom. 2, 16. *Iudicabit DEVS occulta hominum secundum Evangelium meum, per IESVM CHRISTVM.*

29. Quocirca sententia illa in iudicio universalis, nihil erit aliud, quàm manifestatio & declaratio sententiæ jam antè in hac vita ministerio verbi de justificatione & condemnatione singulorum pronunciata.

30. Externus modus est ipsa dictio sententiæ, quæ absq; dubio non interna, sed externa erit: Quemadmodum enim in cognitione causæ unicuiq; vi divina bona & mala opera in memoriam revocabuntur, perniciosissimoq; mentis intuitu cernentur conscientia se se intrinsecus vel accusantes, vel excusantes: ita prolatio sententiæ in externos etiam sensus incursum est: ut nimirum, quia spiritus simul & corpora feriet sententia, partim spiritualis, partim corporalis huius iudicij sit administratio.

31. Sententia definitiva ipsa erit huiusmodi: Piis, qui à dextris erunt, dicit Christus: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi:* Matth. 25, 34. Impiis contra, qui à sinistris erunt, dicit: *Discedite à me maledicti in ignem eternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Matth. 25, 41.

32. Cæterùm circumstantiæ hinc considerandæ, sunt Tempus & Locus.

33. De tempore, quo iudicium hoc futurum est, importunè quæri, inquit Augustinus. Erit quidem novissimus dies: Verùm quando is sit venturus, non est in sacris literis expressum. Marci 13, 32. inquit Christus: *nescitis diem & horam.* Et Matth. 24, 36. *De die autem & hora illa nemo scit, neq; Angeli cælorum, nisi solus Pater:* additq; Mar. 13, 32. *neq; Filius & Actor.* 1, 7.

Sententia iudicij extremi qualis.

2. Externus modus: ipsa dictio sententiæ.

Sententia definitiva qualis.

Tempus iudicij.

B

Non

Non est vestrum nosse tempora, quæ pater posuit in sua ipsius potestate.

34. Subitò verò & ex improviso aderit: *Matth. 25, 27.*
Sicut fulgur exit ab Oriente & apparet usq; in occidentem, ita erit &
adventus filij hominis. Marc. 13-35. Nescit enim, quando Dominus domus
veniet, serò, an media nocte, an gallicantu, aut in meo. Et *Matth. 25,*
6. Parabola de virginibus ait, sponsum nocte venisse.

Locus in-
disis.

35. Non minus incerta est loci, in quo celebrandum hoc
judicium, designatio. Est convallis Josaphat sita proximè
Hierosolymam, ad orientalem templi portam inter mon-
tem Sionis & Oliveti, sic dicta à victoria in signi, concessa
Regi Josaphat adversus Ammonitas & Moabitas *2. Par. 20, 29.*
in hanc Christū descensurum, non quidem ad terrā usq; sed
ad illum usq; locū in quo ascendentem in Cælū nubes susce-
pit, & Apostolorum oculis eripuit, colligunt quidam Judæi
ex *Joel. 3, 2. & 12. Congregabo omnes gentes & educam eas in vallē*
Josaphat, quæ ibi seculo, inquit Dominus, ut iudicem omnes gentes.

36. Verū id ex vaticinio Joëlis minus rectè colligitur,
cum ejus sensus longè alius videatur, nempe infideles & ipsis-
simos Ecclesiæ hostes in conspectu fidelium judicandos esse;
non aliter atq; vallis illa Josaphati, ab insigni victoria de ho-
stibus Israelitarum parta, hoc nomen adeptæ. *2. Paral. 20, 26.*
&c. sita est in conspectu ipsius Sionis & urbis Hierosolymita-
næ, quæ typus erat Ecclesiæ: Quæ ratione & sensu Paulus
quoq; dicit, Sanctos mundum judicaturos. *1. Cor. 6. v. 2.*

Executio
extremi
iudicij.

37. Hactenus igitur de extremo judicio: sequitur nunc
porrò, ut paucis ipsam executionem videamus: quæ erit in
inferno & vita æterna.

38. Quam primū enim sententia definita à Christo ju-
dice justissimo pronunciata & promulgata fuerit, è vestigio
sine omni exceptione, dilatione aut appellatione executio
exsequetur, videlicet pii transferentur ad vitam & gloriam
æternā: Impij verò in pœnas & æternos inferni cruciatus de-
turbabūtur, juxta dictū *Matth. 25, 45. sententiæ definitæ annexū:*
Ibunt iusti in vitam æternam, iniusti verò in supplicium æternum.

39. Quæ executio ut eo rectius intelligatur de utroq;
inferno nimirum & vita æterna, quædam seorsim & quidem
aliū repetenda videntur, 40. De

40. De inferno igitur priori loco acturi, prius vocem. **Infernus**
explicabimus, tum rem ipsam.

41. Appellationes igitur loci, in quo damnati æternis **Appella-**
subjicientur pœnis, sunt istæ: I. Vocatur *ἀδης*, *παρά τὸ μὴ* **tionis In-**
εἶδεν, id est, *ἀήλιος*, tenebrosus, sine sole domus. Latini à **f. rni.**
situ, inferos, infernum, orcum, & abyssum interpretantur,
hoc est, immensæ profunditatis voraginem. *Matth.* 23, 15.
Luc. 10, 15. 16, 22. *Apo.* 1, 18. 6, 8. 20, 14. II. dicitur *Gehenna*,
Matth. 22, 10, 28. *Marc.* 9, 43. 43, 45, 47. *Luc.* 12, 5. *Iac.* 3, 6.
Fuit a. Gehennon vallis in tribu Benjamin, ab impiis posses- **Gehennon.**
sa, in qua Gentium filij vivi idolo Moloch cremebantur &
immolabantur: cuius fit mentio *Ier.* 18, 16. & vocatur vallis
filiorum Hinnom. Postea & ipsi Israelitæ ad Gentilem istum
ritum defecerunt, sicut scriptum est de Ahaz. 2. *Paralip.* 28,
3. Vocatur etiam locus ille *Tophet*, à timpanis, quæ pulsaban-
tur, ne ejulatus puerorum exaudiretur 2. *Reg.* 23, 10. Postea
in consuetudinem abiit, ut vulgari modo loquendi, *Gehen-*
na, pro loco, tormentis & perpetua in damnatione futuris
deputato, acciperetur. III. Dicitur *carcer* 1. *Pet.* 3, 19. Uti etiam
παραβολικῶς depingitur *Matth.* 5, 25. *Luc.* 12, 58. IV. *Tartarus*
ὅτι παρά τῆς ἀπ᾽ ἀνάστασης, terret omnia: vel dicitur ita *ἀπὸ τῆς*
τάρταριζέω, hoc est, à tremore frigoris. Sole enim caret, inquit,
Servius, V. *Ciminius ignis*. *Matth.* 13, 42. VI. *Ignis æternus*, *Matt.* 18,
8. *Matth.* 25, 41. VII. *Ignis inextinguibilis*. *Matt.* 3, 12. *Marc.* 9, 43.
VIII. *Stagnum ignis, ardens Sulphure* *Apo.* 20, 10. IX. *Puteus, Abyssus*
Apo. 9, 12. 17, 8. 20, 1, 3. X. *Supplicium æternum* *Matt.* 25, 46. XI. *Per-*
ditio *Matth.* 7, 13. XII. *Tenebræ exteriores*, *Matth.* 8, 12. 22, 13. 25, 29.
XIII. *Ventura ira*. *Matth.* 3, 7. *Rom.* 5, 9, 1. *Th.* 1, 10. XIV. *Interi-*
tus æternus 2. *Thess.* 1, 9. XV. *Infimæ partes t. rra* *Eph.* 4, 9. XVI. *Loc-*
us inferorum *Philipp.* 2, 10.

42. Porro Rem ipsam consideraturi, agemus L. de Lo-
co; deinde de pœnis infernalibus.

43. De loco, tres quæstiones notandæ. I. An sit? 2. Quid **Locus In-**
sit? 3. Ubi sit? **fernè.**

44. Quod aliquis sit locus, in quo pœnis æternis affi- **An sit loc-**
ciendi **ciendi**

cus infer-
nalis.

Qualis sit
ille locus.

Vbi ille lo-
cus.

Pœna in-
fernales.
Initium
pœnarum.

Qualitas
pœnarum.

ciendi damnati, ex dictis & testimoniis modo allegatis, est manifestum: quæ toties repeti necesse non est.

44. Deinde ad secundam quæstionem dicimus, quòd infernus sit locus abditus & horribilis, hominibus damnatis, & malis angelis ad pœnam æternam destinatus. Num. 16, 30, 33. Esa. 30, 33. Matth. 8, 12. 25, 41. 2. Theff. 1, 9.

45. Ubi verò iste sit locus futurus, nullus hominum, in hac vita scire potest. Iob. 38, 17, 19. Ut enim Apostoli id à Christo non acceperunt; ita neq; Ecclesiæ tradiderunt. De eo etiam nos sollicitos esse non decet, sed hanc dare operam, ut caveamus, ne aliquando experiamur. Quemadmodum scitè monet Chrysostomus, dubitabundas Epicureorum, voces refutaturus in Epist. ad Rom. homi. 31. πῶς, φησι, καὶ ἐν ποίῳ χωρίῳ αὐτὴ ἔσται ἡ γέεννα; τί σοι τῶν μέλει; τὸ γὰρ ζητῆμα, δεῖξαι ὅτι ἐστίν, & πῶς τεταμέεται, καὶ ἐν ποίῳ χωρίῳ μὴ τοίνυν ζητῶμεν, πῶς ὄσιν, ἀλλὰ πῶς αὐτὴν φύγαιμεν. Vbi, inquit, & in quo loco erit illa gehenna? ut quid istud curas? Quæstio siquidem est, ut ostendatur, quòd sit, non ubi recondita sit, & in quo loco &c. Non igitur queramus ubi sit, sed quomodo illam effugiamus. Item, ibid. Mentem tuā persuade ne vanè nugetur, ne per experientiā discas esse gehennam, sed hinc & respiscere & tormenta illa effugere.

46. De pœnis infernalibus quatuor sunt tenenda: 1. Initium. 2. Qualitas. 3. Gradus. 4. Duratio.

47. Initium quod attinet. Quædam præludia in nonnullis impiis in hac vita incipiunt. Ut infernus est, sentire iram Dei, esse maledictum & velut à Deo rejectum. Sentiuntur etiā à piis interdum; sed duntaxat in hac vita ad probationem. Ps. 28, 6. Potissimæ verò differuntur post mortem & in diem extremum. Nā impiorum animæ statim post separationem à corpore pœnas illas infernales subeunt. Luc. 16, 22, 23. reservanturq; usq; ad diem iudicij, quo resumptis corporibus atrocissimis & ineffabilibus cruciatibus perpetuò torquebuntur.

48. De Qualitate vix aliquid certi definiri poterit. Quemadmodum enim piorum beatitudinem, ita etiam impiorum pœnas nemo hominum in hac vita, animo concipiet, ne dum linguâ eloquetur. Veruntamen Scriptura, sese ad captum nostrum

nostrum accommodans, pœnas istas qualibuscunq; adumbrare nititur imaginibus. I. *ωδίνων*, sive acutissimorum dolorum, quos parturientes experiuntur. *Luc. 16, 24.* II. *βασάνων* sive quæstionum, quibus rei subjiuntur. *Luc. 16, 23.* III. Vermis perpetuò rodentis. Et IV. Flammæ *Luc. 16, 24.* sive ignis, non quidem Elementaris, sed *ἀσβέτης, ἢ ὑλινῆς* (ut loquitur *Damascenus lib. 4 de Fid. Orth. c. 28. p. 396.*) *οἷον τὸ παρ' ἡμῶν, ἀλλ' οἷον εἰδείν ὁ Θεός, non materialis, qualis est apud nos, sed qualem novit DEVS.*

49. Dux hæ similitudines posteriores ut plurimum conjunguntur. *Esa. 66, 24. Marc. 9, 44. Iudub. 16, 21. Sir. 7, 19.*

50. Christus de pœnis hisce loquens, simpliciter ait, ibi fore fletum & stridorem dentium, ut videre est *Matth. 8, 12. 13, 42. 22, 13. 24, 51. 25, 30. & Luc. 13, 28.*

51. Ubi ita *Bernhardus*: *Fletus quidem, inquit, ob ignem, qui non extinguitur: Stridor verò ob vermem, qui non moritur: Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immunitas: stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis invidiæ & obstinata malignitas extorquebit.*

52. Tertiò, licet hi cruciatus fuerint maximi & inenarrabiles, non tamen æqualis erit, quo ad ipsum pœnarum æternarum modum, damnatorum conditio. Erunt enim gradus damnationis in inferno: siquidem Christus *Matth. 10, 11.* inquit, *tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm civitati illi, non obscure indicat, quosdam in gehenna leviùs & tolerabiliùs, quosdam graviùs esse puniendos, nempe ex ratione & proportione impietatis illorum.* Ut idem quoq; repetit Christus *Matth. 11, 22, 23.* Ubi *Tyro & Sydoni*, nec non terræ *Sodomitarum* tolerabiliùs fore pronunciat, quàm *ingratis Galilææ* urbibus. Item. *23, 14.* dicit *Salvator Hypocritis: Propter hoc amplius accipietis iudicium.* Et *Luc. 12, 47.* idem innuit & confirmat, quando inquit. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, nec facit secundum voluntatem eius, vapulabit plagis multis; qui verò non cognovit & digna fecit plagis, vapulabit paucis.*

53. Veruntamen, qui levissimè punientur in inferno,



tantos sustinebunt cruciatus, ut ad eos universæ totius mundi calamitates, ærumnæ, tribulationes, angustia, pressuræ ac tormenta conferri nulla ratione vel proportione possint.

Duratio 54. Tandem duratio harum pœnarum erit perpetua & pœnarum æterna. Nam ignis eorum non extinguetur, & vermis non morietur. inferna- *Esa. 66, 24. Et Christus Matth. 25, 41. Discedite à me maledicti in lium. ignem æternum. Matth. 3, 12. Paleas comburet igne inextinguibili. Iudith. 16, 21. Dominus dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant usq; in sempiternum Esa. 34, 10. Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendit fumus eius. Apoc. 14, 10. Cruciantur ur igne & sulphure in conspectu Angelorum & ante conspectum Agni, & fumus tormentorum eorum ascendit in secula seculorum.*

Vita æterna. 55. Sequitur nunc, ut ultimo loco vitam æternam paucis consideremus; ubi nostram sequentes methodum, primum de voce; deinde de re ipsa sumus acturi.

Appellationes vitæ æternæ. 56. Status beatorum post hanc vitam frequentissimè appellatur vitæ æternæ. *Iob. 3, 16, 6, 40, 1. Iob. 2, 25, 5, 11. Rom. 6, 22. Gal. 6, 8, 1. Tim. 3, 7. cuius vocis consideranda tum significatio, tum synonyma.*

Significationes vitæ æternæ. 57. Significatio duplex datur in Scriptura figurata sive Metonymica, & propria.

Metonymica. 58. Metonymicè sumitur partim pro via sive modo ac ratione perveniendi ad hæreditatem cœlestem. *Iob. 3, 36. Qui credit in filium habet vitam æternam. & c. 17, 3. Hæc est vitæ æternæ, ut te agnoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti IESUM Ch ist. m. Partim pro Christo ipsa 1. Iohan. 5, 20. Hic est ille verus Deus & vitæ æternæ.*

Propria. 59. Propriè pro beatorum statu post hanc vitam in locis thesi 56. allegatis. Dicitur autem vitæ illa æternæ, quia vitæ æternæ cur ita dicatur. neq; temporaria vel ulli mutationi erit obnoxia, sicut hæc nostra: Sed, licet initium habitura; nunquam tamen auferretur illis, quibus semel fuerit data: sed durabit sine fine in perpetuum. *Iob. 14, 5, 9. Matth. 25, 34.*

Synonyma. 60. Synonyma varia habet in scripturis. Vocatur I Regnum Dei *Matth. 21, 31. Act. 14, 21. 1. Cor. 6, 9. Gal. 5, 21. Eph. 5,*

5,

Ephes. 5, 5. Domini Matth. 25, 21. 23. Patris Matth. 25, 34. Cælo-
rum. Matth. 5, 3. 6. 33. 7. 20. 8, 11. 19. 14. sive regnum Cælestē
I. Tim. 4. 18. II. Sinus Abrahæ Luc. 16. 21. III. Paradisus. Luc. 23
43. 2. Cor. 12, 4. Apoc. 2, 7. IV. Aeternum tabernaculum. Luc. 16,
9. V. Domus Patris Christi Ioban 14, 2. VI. Sancta civitas & nova
Hierusalem. Hebr. 13, 4, 14. Apoc. 21, 10. VII. Hereditas immarces-
cibilis. I. Petri. 1. 4. VIII. Gloria nostra I. Cor. 2, 7. IX. Requies.
I. Thess. 1, 7. X. Refrigerium. Actor. 13, 19. XI. Pax Luc. 13, 79.
XII. Felicitas tanta, quæ nec oculis, nec auribus, nec animo cuius-
quam capi potest. Ps. 31, 20.

61. Cæterum de re ipsa, quid scimus, quid dicemus?
Hoc scimus, quod nihil scimus. Quandoquidem oculus non vi-
dit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ para-
vit Deus, ijs, qui ipsum diligunt. I. Cor. 2, 9. Esa. 64, 4.

62. Veruntamen, si omnino hic aliquid dicendum sit,
vitam æternam non ut volumus, sed ut possumus, descri-
bemus: & deinde datam definitionem resolvemus & expli-
cabisus.

63. Est igitur vita æterna status gloriosus, in quo sin-
guli electi ab omni peccato & infirmitate liberati, & Chri-
sto capiti suo plenissime conjuncti perpetuoq; gaudio, à quo
omnis aberit molestia, dolor, tristitia & gemitus, affecti, unà
cum sanctis Angelis & universo beatorum cætu Deum co-
ram intuebuntur, eundem perfectè amabunt; atq; infinitis
seculorum seculis celebrabunt.

64. Definitio resolvitur in genus & differentiam. Genus
est status & quidem post mortē & resurrectionem à mortuis.
Dan. 12, 2. Multi de his, qui dormiunt, in terræ pulvere evi-
gilabunt, alij in VITAM ÆTERNAM, alij in oppro-
brium.

65. Differentia complectitur subjectum & rationem
formalem.

66. Subjectum sunt omnes electi. Una enim beatitudo.
Una vita æterna omnibus illis, qui in Christum crediderunt,
futura communis. Hinc Christus de justis ex æquo pronun-
ciat,

Vita æternā
na quid
sit.

Αὐτάλυ-
σις defi-
nitionis.
Genus.

Differen-
tia.

Subiectum
vita æternā
re.

ciat, quod sint futuri sicut Sol Matth. 13. 43. Quod sint futuri
ἰσχυροὶ Matth. 22, 30. Quod ubi ipse fuerit, futuri sint mini-
stri. Ioh. 12, 26. & 17, 24.

Certi gra- 67. Quamvis interim haud negemus, certos ibi fore
dus in vita gradus gloriae secundum opera eorum, qui per fidem vitae
eterna. illius caelestis donum in Christo assecuti sunt: Uti id ex se-
quentibus Scripturae locis est manifestum: Daniel. 12. 3. Qui
docti fuerunt, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iusti-
tiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. Rom. 2, 6.
Deus reddet unicuique secundum opera sua. 1. Cor. 15, 41. Alia claritas
Solis, alia claritas Lunae, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella
differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.

Ratio for- 68. Ratio formalis ponitur in genere: deinde explicatur
malis ge- per partes. Generaliter, huius vitae status erit gloriosus.
neralis. Nam juxta Bernhardū, quicquid olim preparavit & inchoavit gra-
tia; tunc absolvet & perficiet gloria. 1. Pet. 5, 4. Cum apparuerit, re-
portabitis immarcescibilem gloriae coronam. Ibid. v. 10. Vocavit nos
ad aeternam suam gloriam per Christum IESVM Rom. 8, 17 & 18.
Ut unā cum illo glorificemur. Nam reputo, non esse pares afflictiones
praesentis temporis cum gloria, quae revelabitur erga nos. Conferan-
tur Rom. 9, 23. 1. Cor. 15, 40. & seqq. 2. Cor. 4, 10.

Conditio- 69. Partes quae in definitione enumerantur sunt par-
nes & ac- tim conditiones & actiones beatorum, quarum numerantur
ctiones quatuor. I. Quod ibi electi futuri sint sancti & mundi ab
Beatorum omni peccato; erunt enim filij Dei & pares sanctis Angelis.
in vita Matth. 22, 30. Luc. 20, 34. Et Iohannes affirmat. 1. Epist. 3, 2.
eterna. Similes ei erimus. At is est sine peccato; quare & nos sine pec-
cato futuros asserit. Atque mundiciem hanc & sanctitatem
I. Quod Johannes vestimenta alba vocat Apoc. 3, 5. Stolas albas c. 6, 11.
futuri sint & 7, 9. appellat. Item, Apoc. 19, 14. dicitur: Exercitus autem, qui
sancti & sunt in caelo, sequebantur eum (λόγῳ) cum equis albis vestiti bysso
mundi. albo & puro. Et Ephes. 5, 4. Ut essemus Sancti & irreprehensibiles.
Item 5, 27. Ut adhiberet eam sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem
rugam aut maculam, aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta &
irreprehensibilis. Conferatur. Coloss. 1, 22. 1. Thess. 5, 23. Epist.
Judae v, 24.

70. Unde

70. Unde sequitur ejusmodi *εὐδοκία*: Quod futuri sint immunes à morte & aliis molestiis: quas mors habet conjunctas: Item liberi à Tyrannide Diaboli, ab inferno, à mundo seu impijs & AntiChristo.

*Futurim-
manes à
morte, &
alijs moe-
stijs &c.
A morte.*

71. A morte quidem: Ubi enim peccatum non est: ibi neq; mors: cum stipendium peccati mors sit: Hinc expressè dicitur 1. Joh. 3, 14. *Translati sumus de morte ad vitam.* Apoc. 21, 4. *Et mors ultra non erit neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quia prima abierunt.* 1. Cor. 15, 53. *Cum corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est; Absorpta est mors in victoriam, ubi tuus, mors, aculeus.*

72. A tyrannide Diaboli: Tum enim opera Diaboli ad plenum erunt destructa 1. Joh. 3, 8. *Et Draco ille magnus cum Angelis suis, qui accusabat eos, ante conspectum Dei nostri die ac nocte, proiectus erit in terram.* Apoc. 12, 3. *Et in stagnum ignis, ubi cruciabitur in secula seculorum,* Apoc. 20, 10. *Angeli mali erunt iudicati à Sanctis.* 1. Cor. 6, 3. *Quomodo igitur suis ignis telis amplius poterint Sanctos infestare? Et alibi Diabolus erit concalcatus sub pedes piorum.*

*A tyranni-
de Diabo-
li.*

73. Ab inferno. Hic enim una cum morte conjicietur in stagnum ignis. Apoc. 20, 10. *Ubi tua, infirne, victoria.* 1. Cor. 15, 55.

*Ab infer-
no.
Ab impijs.*

74. Ab impijs. Antichristo, eiusq; patronis ac socijs. Christus enim persecutoribus infliget ultionem, 2. Thess, 1, 8. *Et ignis devoraturus est adversarios.* Heb. 10, 27.

75. Secunda conditio. Electi futuri sunt potentes, & liberi ab omni infirmitate. Quemadmodum enim Christus non amplius est infirmus, sed potentissimus. 2. Cor. 13, 3. ita quoq; beati fortes & potentes erunt. Apocal. 2, 26. 3, 5, 21. 1. Cor. 15, 57.

*2. Condi-
tio Electi
futuri
sunt po-
tentes &
liberi ab
omni infir-
mitate.*

76. Erit enim summa perfectio tam in corpore, quam in animo. Nam corpus glorificatum erit lucidum teste Christo. Matth. 13, 43. Ergo etiam lucis naturam imitabitur.

77. Erit igitur 1. clarum, quia lux illustrat: 2. erit impassibile, quia lucem nihil corrumpit. 3. Erit penetrabile: quia lux

Ⓞ



lux penetrat, quicquid est diaphanum: 4. Erit agile, quia lucis motus est perniciosissimus. 5. Tandem ut lux proximè ad spirituale accedit nathram: ita & corpus glorificatum erit spirituale: num verò propterea amittet corpoream suam naturam, & in spiritum, corpori oppositum, mutabitur? nequaquam. Quemadmodum enim hic corpus animale non est anima: ita nec illic corpus spirituale erit spiritus

Beatitudo
ad ani-
mū quoq;
pertinet.

78. Sic beatitudo & perfectio illa, quia plena & ultima, ad animum quoq; pertinet.

76. Nam quia plena est; totum animum & singulas ejus partes perficit: quia ultima, omnes ejus potentias sive facultates, omnibus imperfectionibus sublatis, in actum educit. Unde τὸ ἡγεμονικόν, quod hic credit; ibi videbit clarè: τὸ θυμικόν, quod hic sperat, ibi obtinebit firmiter: τὸ πρῶτον θυμικόν, quod hic amat, ibi diliget perfectè. Unde perfecta visio, perfecta fruitio, perfecta dilectio.

80. Cui ferè respondet illud Bernhardi: *Deus futurus est intellectui, plenitudo lucis; voluntati, multitudo pacis: memorie continuatio eternitatis.*

3. Condi-
tio vite
eterna:
Beati erunt
Christo
coniuncti
plenissime.

81. Tertia conditio. Beati Christo capiti suo plenissime erunt conjuncti. I. Quia erunt cum Christo, cum eo vivent, ejus videbunt claritatem, cognoscent, quod ipse sic in patre, & pater in ipso: Videbunt eum sicut est: Societatemq; habebunt cū Patre & filio ejus JESU CHRISTO. *Ioh. 12, 44. & 14, 20, 17, 22, 23. I. Ioh. 3, 2. & I. Ioh. 1, 2. Apoc. 7, 9. 21, 3. I. Cor. 13, 12, 15. 49. Eph. 5, 4. Phil. 3, 20. Coloss. 3, 24. I. Th. 5, 17. H. br. 12, 23. II. Quia unā cum Christo judicabunt Angelos malos & mundum. I. Cor. 6, 3. III. Quia accipient hæreditatem regni DEI, eruntq; cohæredes cum Christo. I. Pet. 1, 3. 2. Pe. 1, 4. Apoc. 21, 3. & 22, 3. Rom. 8, 17. Gal. 4, 7. Hebr. 10, 34.*

4. Cond.
Fuentur
gaudio
latitiâ
eterna.

28. Quarta conditio: Fruentur gaudio & latitiâ æterna. *Joh. 16, 22. Gaudium vestrum nemo tollit à vobis. Matth. 25, 21, 23. 28, 52. Luc. 15, 7. Apoc. 7, 14. & seq. Hi sunt, qui venerunt ex afflictione magna & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas*

in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui sedet in throno, habitabit super illos: Non esurient neq; sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neq; ullus ætus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vivos fontes Aquarum, & absterfurus est Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. *Apo. 17, 7* Gaudeamus & exulemus & de-

83. Electi igitur omnibus suis fruuntur votis juxta illud Bernhardi: *Quicquid amabitur, aderit, & nihil desiderabitur, quod aberit.* Sentient summam & puram voluptatem tum corpore, tum anima ex præsentia Christi & assiduo Dei intuitu. *Psal. 16, 21.* *Notam facies mihi semitam vite abundantia deliciarum in vultu tuo, incunditas in dextra tua in æternum,* Et *Psal. 17, 15.* *Satiabor cum exsperser (à mortuis) vultu tuo in æternum.* Erit ibi triumphus electorum super diabolo, morte & inferno. *Luc. 20, 6.* Societas cum omnibus beatis. *Rom. 16, 20.* *Apocal. 20, 10.* Conversatio cum Sanctis Angelis: perfectus Amor DEI & proximi, concordia omnium & pax summa. Quandoquidem illis omnibus una voluntas: nulla enim ibi nisi DEI voluntas, quocirca omne quod volent, fiet. Cantus ibi & melodix perpetuæ. Cum Angelicis enim choris concinent sine fine laudantes Deum. Imò tanta & talia ibi erunt corporis & animi dona & bona, quanta & qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit. *1. Corinth. 2, 9.* Quis igitur cum Christo per mortem illic non transire ex animo cuperet?

84. Dictum inter alia est, quòd in Vita æterna non tantum futura sit perfecta dilectio DEI, verum etiam proximi: deinde quòd omnes facultates animæ futuræ sint perfectissimæ. Ergone dilectio & perfectio illa omnium animæ facultatum, arguit mutuam Sanctorum inter sese agnitionem?

*An Sancti
in vita
æterna se
mutuò co-
gnoscent.*

C 2

85. Utiq;:

85. Utiq; : I. Imagine enim Dei, ad quam in initio conditi eramus, perfecte reperta, perfecta quoq; sapientia & cognitione instructi erimus. Nam si Adam ante lapsum adhuc retinens integritatem imaginis Dei, Evam, quam nunquam viderat, & unde nam esset, nemine dicente, cognovit. *Genes 2, 23.* multo magis in altera vita, ubi omnia isthac dona multo perfectiora erunt, nos mutuò cognituri sumus.

86. II. Deinde Petrus in monte, in mortali corpore, gustum tantum quendam percipiens, Mosen & Eliam, quos nunquam viderat, agnoscit *Matth. 17, 1.*

87. III. Tandem dives Epulo *Luc. 16, 23.* Videt & agnoscit Lazarum in sinu Abrahamæ: multo igitur magis beati se mutuò agnoscent: etiam illi, qui, dum in hac vita carnali peregrinabantur, sese mutuò nunquam viderunt.

Beati in
V. Æ.

agnatos
inter dam-
natos visu-
ri & agni-
turi sunt.

88. Unde porro infertur: Beatos quoq; in vita æterna agnatos inter damnatos, visuros & agnituros esse: Quæritur ergo non immerito, ane exinde gaudij istius cœlestis ac tristis metuenda sit contaminatio.

89. Non certè. I. Quia tanta beatorum cum justitia & voluntate Dei erit conformitas, ut nihil aliud velle, nullo etiam alio delectari possint, quam quod Deus volet, quod Deo placebit. Quocirca propter damnatorum etiam agnatorum miseriam & pœnas, quas ex merito solvent, ne tantillum perturbabuntur. Nam lætitiâ illam æternam, sive gaudium perpetuum & inenarrabile, quod in conspectu summi illius boni, quod est congeries omnium bonorum, & jucunditatum, spiritus in electis excitabit, nemo minuet vel tollet ab illis *Ioh. 16, 22.*

Errores
circa iudi-
cium æter-
num.

I.

II.

90. Tandem errores primum circa iudicium extremum vitandi sunt. I. Epicureorum, & ἀπειθῶν, irrisorum, qui vel extremum iudicium planè negant, vel promissiones de glorioso Christi adventu ad iudicium sardonico risu contemnunt 2. Pet. 3, 4. II. Curiosorum, ut Circuncelliorum, Anabaptistarum & Enthusiatarum, qui prophetias ad plebem jactare & certum annum, mensem ac diem iudicij præstituerunt

stiterent solent: Deinde Platonicorum & Astrologiae judiciorum deditorum nonnullorum, qui ex aliquo siderum positu & aspectu vel imaginariis numerorum & temporum supputationibus & Arithmeticis calculationibus, tempus extremi judicii praesumere audent: Tandem aliorum, qui idem praestare praesumunt ex vulgariis vaticiniis aut humana auctoritate: quando nescio cujus Rabbini somnium, tanquam oraculum quoddam divinum ab Elia prolatum inculcant: Sex millia annorum erit mundus: duo millia annorum ante legem: duo millia sub lege; duo millia post legem: & postea finis. III. Cerinthi, qui per creationem novorum caelorum nihil intellexit aliud, quam Hierosolymitanæ urbis & Reipub. Judaicæ instaurationem. IV. Muhammedanorum qui in novissimo judicio Christum non judicem, sed tantum testem instar aliorum Prophetarum, fore dicunt, nec non formam & processum hujus judicii insulissimis nugis contaminant. V. Ambr. Catharini, qui terram, extremo incendio renovatam, & amœnius exornatam hospitium praebituram nugatur quibusdam hominibus, neq; caelo, neq; inferno dignis. *in Commento in 2. Petri 3.* VI. Pontificiorum, qui judicii locum designant, tempus imò ipsum momentum adventus Christi ex falsissimis absurdissimisque hypothesebus definiunt: & de Beatorum sedibus fabulas, Poëtarum figmenta de campis Elysiis, redolentes, comminiscuntur. *Bellarmin. de purg. l. 2. c. 7.*

91. De inferno & vita æterna sequentes errores, sunt vitandi. I. Sadducæorum, qui extra hanc vitam, neq; præmia benefactis, neq; malefactis pœnas repositas esse statuebant. II. Epicureorum, qui neq; Diabolos, neq; infernum aut certè non tantos eius cruciatus esse credunt. III. Origenistarum & Chiliastarum, qui somniabant, fore, ut omnes & singuli homines, etiam scelerati, ipsiq; adeò dæmones pœnis illis aliquando, nempe post mille à resurrectione annos defuncti, absolvantur: & cum Muhammedanis, vitam æternam in corporis voluptatibus constituebant. IV. Pelagianorum: qui vitam æternam extra regnum Dei constituunt. V. Pepuzianorum,

C 3

Errores de inferno & vita æterna.

I.

II.

III.

IV.

V.

VI. norum, qui eam in hisce terris somniant. VI. Hierarchita-
VII. rum, qui parvulos ad eam pertinere negant. VII. Pontificio-
rum, qui etiam hoc loco cum Platonis & Poëtis ad oblecta-
tionem malunt nugari; quam ex sacris literis ad sobrieta-
tem sapere. Verum nos, qui verbo Dei de futura beatorum
gloria rectè & evidenter edocti sumus. nugas illas detestan-
tes, impietatem execrantes, mundana desideria abnegantes,
in seculo hoc justè & pie vivamus, ut fide expectantes bea-
tam spem & adventum gloriæ magni Dei & salvatoris nostri
JESU CHRISTI cum Christo, omnibus sanctis Angelis, &
electis, Dei æternum vivamus & regnemus, immunes ab
omni molestia, in gloria sempiterna, lætitia limpidissima,
justitia castissima, Dei notitia illustrissima, adeoq; beatitate
perfectissima. Cui Deo nostro sit gloria & laus, honor
& imperium in perpetuas æternitates.

A M E N.



Ad Præstantissimum Dn. M. GOTTFRI-
DUM RÜLICHIIUM. amicum & commen-
salem suum animum colendum.



Iccine bella movos Gottfride rebellis? ad arma

Sicci e iam genio precipitante ruis?

Nomen habes pacis: verum non omen. At audi

Mox revoco. Dico, divi s utruq; tenes,

E. ge sui hoc? mirari, & hæc rimari? inestum

Me reputas? Mentis profero sensa mee.

Pacis amans, verà causæ bonitate coactus

Pallados assidue strenuus arma geris.

Arma Magistratus vindex adsumit. At inde

Hic ferus & sævus mox reputandus erit?

Que

Qua facis, ingenij sunt haec molimina; magnis
Hinc Patris sic lucida stella soli.
Primus in hanc aciem protusus es ordine primam;
In media stabas cinctus utrumq; later.
Iam qui pugnavisti sat fortiter, ultima tandem
Prælia perpetua non sine laude subis.
Iovæ tuæ: servotua dona beata reserves:
Hic erit & populi fida columna tui.
Claudo. Sed hic opus hoc fausto quia fine beatus
Sunt devota prius vota litanda Deo.
Alme Parens mens nostra tibi præconia laudum
Dicit, & hæc offert fumida thura precum:
Protege nos, nostrumq; Ducem, qui currus & unum;
Unus & est studiis altor, & alter Athlas.
Sic tibi MARTINI resonabit buccina laudes.
Sic nomen pleno concinet ore tuum.

Scribebat Tobias Cuno Magdeb. S.

F I N I S.




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


Schicht Tobias Cuno Magister

F. M. I. R.









99 A 6935

VD 17



99 A 6935


ULB Halle 3
005 360 463



TA → OC







40



PARTITIONVM
Theologicaliarum
DISPUTATIO XL.

& Ultima.
De

JUDICIO EX-
EMO, INFERNO
ET VITA ÆTERNA.

Inclutâ & Florentissimâ Academiâ Wit-
tebergensi proposita

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente

GOTTFRIDO RULICHIO
Dresd.

Horis locq; consuetis.

Ad diem 14. Decembris.

sumptibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.

